



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

5tus Modus cum omnibus Angelis & SS. laudare B. V. & per septem
decades.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

tenebras vivens, ne descenderet mortuus. In
 5ta decade, cujus grana erant tūm aurei tūm
 cœrulei coloris post verbum *Iesus* oculos men-
 tis attollebat in cœlum, & mox in affectum gau-
 dii, mox ardentis desiderii, mox doloris de cœ-
 lo toties per peccatum perditō prorūmpebat.

*5tus Modus cum omnibus Angelis & SS. laudare
 B. V. & per septem decades,*

Quintus Modus orandi cum fervore & ala-
 critate Rosarium est hic. In prima decade
 conjungis te Choro Angelorum dicens: *Ave
 Maria Regina Archangelorum & Angelorum.*
 Post verba *Sancta Maria* dicitis: *Decies millies
 benedico ac laudo te cum Angelis & Archangelis*
 hic in terris, postmodum te in æternūm lauda-
 turus in cœlis in hunc finem Mater Dei ora pro
 nobis &c. In 2da decade conjungis te Patriar-
 chis, Prophetis, & omnibus Sanctis veteris
 testamenti dicens: *Ave Maria, Regina Patri-
 archarum, Prophetarum, omniumque V. testa-
 menti Sanctorum.* Post verba *Sancta Maria:*
*Vigesies millies benedico te ac laudo cum Patriar-
 chis, Prophetis, omnibus SS. V. testamenti hic in*
terris, & postmodum in æternum te laudaturus
cum illis in cælis. In hunc finem Mater Dei ora
 pro nobis &c. In 3tia decade conjungis te Apo-
 stolis, Evangelistis, aliisque Domini Disci-
 pulis. In 4ta conjungis te Martyribus. In
 5ta Confessoribus. In 6ta SS. Virginibus,
 Viduis conjugatis in cœlo regnantibus. Et ad
Ave Maria salutas illam tanquam Reginam Apo-
stolo-

Roborum, Martyrum, Confessorum, Virginum.
Et post hæc verba *Sancta Maria* ascendendo in qualibet decade dicis: *Trigesies, quadragies, quinquages, sexages millies benedico ac laudo cum Apostolis, cum Martyribus, &c. aternum tecum iis laudaturus in celis. In hunc finem Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen.*

In septima decade totum cælum commoves, & post *Ave Maria* dicis: *Regina Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium in lege naturæ, scripta & gratiæ Sanctorum.* Post verba *Sancta Maria* imaginaris tibi, quod omnes hi in Choros divisi in aureis sedilibus sedentes simul assurgant, inclinent se *Reginæ cæli*, adorent Christum & SS. Trinitatem, dicisque: *Laudo te cum his omnibus, & in aternum centies millies te laudare, Filium tuum & Deum Trinum adorare, eoque tecum in aeternum frui desidero. In hunc finem Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, &c.*

Demum quotiescunque dicis *Ave Maria* sive in recitatione Rosarii sive aliàs, id semper devotè fiat. *Primò.* Quia hujus salutationis Auctores sunt Angelus usque ad verba *Dominus tecum* inclusivè. *Elisabeth* inclusivè usque ad verba *Benedictus fructus ventris tui.* *Sequentium* verò *sancta Mater Ecclesia.* *2dò.* Quia laudes summas benedictæ *Deiparæ* in compendio complectitur. *3tiò.* Quia nil *B. V.* gratius est, maximè si post verba *Ave Maria* addas quoque:

que: *Immaculatè concepta in primo conceptionis momento.* Sanctæ Mechtildi cogitanti, quæ precatio B. Virgini gratissima esset, illa ei apparuit cum his aureis in pectore litteris *Ave Maria, gratia plena. Dominus tecum.* Per *Ave* inquebat, dedit mihi Deus Pater potentiam, ut superarem omne peccatum. Per *Maria* Filius dedit sapientiam, ut sim sydus cæli, terræ ac maris Domina. Per *gratiâ plena* Spiritus S. ita me fecit plenam gratiâ, ut, qui me quærit, gratiam inventurus sit, quæ semper effluat. Magnum etiam sentiet in morte solatium Cliens Marianus, si quotidie cum singulari devotione ac confidentia hæc verba exprimat: *Eia ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.*

*Modus recitandi coronam in honorem s.
vulnerum Christi.*

AD crucem Coronæ dic *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Ad majus granum antea tria parva adora caput Christi, & dic: *O bone Jesu exaudi me, intra tua vulnera absconde me.* Ad tria grana parva recolens animo tres clavos, quibus Christus Cruci affixus est. Dic: *Eia Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide.* Porro ipsa corona constat s. partibus. Quælibet pars quinque granis minoribus & uno majore. Ad majus granum recitatur *Ave Maria* in honorem afflictissimæ Deiparæ filio patienti condolentis, cujus animam sub Cruce ideo pertransivit gladius. Ad minora grana singula ora-